



Aus d. Grisebach's Archiv

Nr. 59. 1.

12  
Psal. 2, 7. coll. Acto, 13, 32.

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
**SACRVM**  
**PENTECOSTALE**

IN AEDE PAVLINA  
SOLEMNI ORATIONE  
CONCELEBRANDVM  
INVITAT

24/7/78  
78



ЯТОЛЯ  
ЛИПСИЕНА

**I**n programmate nupero paschali de typis ex-  
posuimus vaticiniisque, quae gloriosam Do-  
mini ac Seruitoris nostri, IESV CHRISTI,  
praenuntiarunt resurrectionem. Vaticiniis  
hinc illustre illud, quod *Psalmi II commate*  
*VII extat*, oraculum annumerandum esse,  
ex allegatione PAVLI, *Aet. Ap. cap. XIII,*  
*v. 32, 33*, nequaquam confici, sed vero id germanoque suo,  
quo aeternam Christi ex essentia Patris generationem enun-  
tiat, sensu ab Apostolo *l. c.* adduci, in eadem monuimus  
commentatione. Curatius hoc in illa ipsa demonstrare, cum  
nobis, dictam ibi ob causam, haud licuerit, ea quidem ope-  
ra nunc perfungemur, et in pentecostali hoc, quem ad mo-  
dum promisimus, programmate veram Paulinae huius alle-  
gationis enodatius explicabimus rationem, quo ei cum  
oraculi Dauidici, cuius in natalitio programmate defensio-  
nem suscepimus, sententia optime conuenire, intelligatur.  
Prologo non opus esse arbitramur, quo respondeamus iis,  
qui hoc argumentum scripturae, facro, ad quod inuitamus,  
solemni alienum forte iudicauerint. Spectat enim illud ad  
confirmandum summum atque admirabilem τῶν ἱερῶν γεωμ-  
ητῶν concentum, consensumque, et ad biblicam hanc vindic-  
candam

candam harmoniam; ut potè cuius dictorum veteris Testamenti, quae in nouo largissime occurrunt, allegationes existimam constituunt partem. Hoc ipso autem SPIRITVS SANCTI, τοῦ πνεύματος τῆς ἀληθείας, gloriam mirifice illustrari, ecquis dubitauerit? Is enim est, cui, auctori videlicet κατ' ἰδιοτονίαν primario, sacrae litterae originem suam debent; a quo acti, οἱ ἄγιοι Θεοῦ ἀνθρώποι, Prophetæ et Apostoli, libros omnes, qui sacram canonicanque conficiunt Scripturam, composuerunt: ita quidem, ut ab eo non solum res, quas perscripserunt, sed etiam verba iisdem fuerint inspirata. Quandoquidem igitur πᾶσα γραφὴ, τῶν Ἱερῶν videlicet γένημάτων, est θεόπνευστος, \*) et locorum temporumque interuallis disiunctissimi licet fuerint diuinorum librorum conditores, uno tamen eodemque dictante et inspirante cuncti scripserunt πνεύματi, nempe SPIRITV SANCTO; per omnia omnino Scripturam sacram sibi consonare, necesse est, nec vera illa in ea locum habere potest εναντιολογία. Hinc, si qua obuenerint, quae pugnare inter se videntur, curatius ubi considerantur, egregie illa ipsa concordare deprehenduntur; eaque hermeneutica sacra praefstat adiumenta, quibus adhibitis, εναντιολογία omnis, seu pugna apprens, evanescit. Ita, quod speciatim ad veteris testamenti, quae in noui foederis libris excitantur, oracula attinet testimoniaque, tantum abest, ut alieno haec vñquam adducantur sensu, ut potius ad verae germanaeque ipsorum sententiae confirmationem, explicacionemque, allegationes eorundem a Spiritu Sancto sint comparaatae. Atque hoc illud est, quod sigillatim, supra dicti oracula Dauidici, a PAVLO, in ea, quam Antiochiae habuit, quaeque in Actis Apostolorum refertur, oratione allati exemplo, scriptione hac, comprobabimus. Quare ad propositum

A 2

venie-

\*) 2. Tim. c. III, v. 16.

## IV

veniemus, Paulinaeque huius allegationis cum laudato oraculo consensus, in quo enarrando multum inter se dissentient interpretes, veram exponemus rationem.

Qui duplicem Psalmi II affingunt sensum, illumque literaliter et *Isagoras* de Rege Dauide agere statuunt; id quod faciunt cum Neo-Photiniani, tum Iudaizantes, CALVINVS, GROTIUS, horumque sectatores; *commatis VII* verba ita exponunt, ut eximum Dei erga Daudem, quo regiam ei dignitatem contulerit, confirmaueritue, fauorem, phrasē metaphorica, significari velint; indeque illa ipsa, sub typi ratione, in allegatione hacce Paulina, ad resurrectionem Christi, qua ad regiam euectus fuerit maiestatem, transferri, accommodari que, aiunt. Male sanam hanc sententiam pluribus confutare, non opus est, posteaquam in natalio nostro programmate, p. 3 et seqq. eas adduximus rationes, quibus Socinianum illud de duplice Psalmi II sensu commentum, ad illustissimi oraculi depravationem formatum, manifestae conuincitur falsitatis. Priscos inter ecclesiae christianaē doctores, licet in eo, Psalmi videlicet II subiectum vnum solumque esse Christum, consentiant omnes, nonnulli tamen dictum Iehouae ad Messiam: *Filius meus tu es, ego hodie genui te*; non de aeterna Christi ex essentia Patris generatione, sed de ipsis ex mortuis resuscitatione itidem accipiunt, atque interpretantur. \*) His ex nostratisbus adiungendus est

IO H.

\*) Ita HILARIVS, in *Tr. in Psalm.* Opp. edit. Benedictin. Parif. p. 42: *Sed id, quod nunc in psalmo est: Filius meus es tu, ego hodie genui te: ad primogenitum ex mortuis pertinere, apostolica auctoritas est.* AMBROSIVS, *de Sacramentis*, lib. III, c. i, Opp. T. IV, p. 361 f. *Habes in Actis Apostolorum, quod ille versiculus, qui dicitur in Psalmo II, Filius meus es tu, ego hodie genui te: ad resurrectionem spectare videatur.*

IOH. BVGENHAGIVS, quippe qui eundem fere in modum dictum hoc explicauit. \*) Atque hi ipsi non alia magis eam in sententiam inducti sunt ratione, quam quod verba illius, vero suo germanoque accepta sensu, cum apostolica allegatione haud conuenire, existimarent. At enim uero, Apostolus neutquam, quod illi putant, ea oraculum adducit mente, ut de resurrectione Christi id sit intelligendum.

Vt de mente Apostoli certo constet, ad ea, quae oraculi allegationem proxime praecedunt, in primis respiciendum est verba. De promissione Messiae, patribus facta, eorumque posteris re ipsa exhibita, loquitur Paulus: *hanc*, inquit, Deus *adimpleuit, ἀναστάτως Ἰησοῦν, excitans Iesum.* Cum verbum *ἀναστάτως* dupli potissimum in N. T. usurpari soleat significatu, ac modo *resuscitare*, nempe, quod saepe additur, *ἐκ νεκρῶν, ex mortuis,* modo *exhibere, praesentem sistere*, significet; \*\*), priorem illam notionem loco huic notati iam a nobis assignant interpres, praesertimque infestissimi Deitatis Christi hostes, Sociniani, qui hac, scilicet, ratione illustrissimum, quod oraculo Davidico continetur, de aeterna Christi ex essentia Patris generatione, argumentum cludi putant. Nec tamen inter illos, qui veram eiusdem oraculi sententiam tueruntur, ipsosque adeo nostrates Theologos, desunt, qui τὸ

A 3

οὐα-

\*) BÜGENHAG. in *Commentario in Psalmos*, p. 14, s. edit. Basil. a. 1524.

\*\*) De verbo *ἀναστάτως*, alteroque in primis eius significatu, singulari studio exposuerunt IOH. OTTREINIVS, in *Biblioth. Bremensi. class. II, fasc. V, n. IV*, vbi epistolaris inter ipsum et IAC. PERIZONIVM, de sensu Θεότεως huius Paulinae: *ἀναστάτως Ἰησοῦν*, disceptatio exhibetur, p. 889 sq. et FRID. ADOLPH. LAMPE, in *Epicrisi ad hanc disceptationem*, ibid. p. 907, sqq.

## VI

*αναστοσης, resuscitandi* notionē, ab Apostolo hic adhibitum fuisse, arbitrantur. \*) Hi nimurum, quod additur, dictum *Pf. II, v. 7*, a Paulo ideo allegari, eti ad resurrectionem Christi referri, aiunt, quia per hanc ipsam manifestatum et declaratum est id, quod antea sub infirmitate latebat, Iesum videlicet esse vere Dei Filium, ab aeterno a Patre genitum; \*\*) cum omnino, ut idem Apostolus, *Rom. I, 4*, testatur, Christus, ex semine Dauidis secundum humanam ortus naturam, *Filius Dei ὁ γενητός*, declaratus sit ex resurrectione a mortuis, quippe qua, tamquam certissimo documento, diuinam potentiam suam et cum Patre ὁ παντοπολιτικός demonstrauit.

Quod si igitur vel maxime τὸ αναστοσης, in verbis Apostoli: *αναστοσης Ιησοῦ, resuscitandi* accipiatur significatu, ne aquam tamen inde sequitur, Paulina oraculi, *Pf. II, 7*, allegatione, verum illius litteralemque de aeterna Christi generatione sensum euerti, cum saluus is maneat, si quidem ad resurrectionem Christi Apostolus ita illud accommodasse intelligatur, quem ad modum illi, quos iam dixi, ex nostra

\*) Vid. R. D. C. H. R. WEISIUS, in *Meletem. theol. de aeterna diuinitate Christi, Pf. II, 7, asserta, p. 18*, vbi nonnulli hanc in sententiam interpres excitantur. Ex nostratis, quorum plures nominari possunt, in primis huc pertinet FRID. RAPOLTVS, in *Comm. ad Iob. Ep. II, Opp. Tb. T. I, p. 630*. Ad IVST. FEVRORNIVM autem quod attinet, is quidem, in *Controvers. Tb. fasc. V, disp. 2, Opp. p. 754*, aliter sentit, quippe qui, τὸ αναστοσης, v. 32, de resurrectione Christi accipi non posse, ex coniunctione aduersatiua δέ, v. 34, apparere, ait.

\*\*) Ita horum interpretum sententiam summatum refert S A L. G L A S S I U S, *Philol. S. lib. II, part. I, tr. 2, f. 1, p. m. 383, f.* Idem vero etiam alteram, de qua mox dicturi sumus, verbi αναστοσης, commemorat interpretationem; nec tamen, quaenam harum alteri praferenda sit, ipse decernit.

nostratisbus maxime, interpres, factum id esse, ostendunt. \*)

Sed potiores utique illorum nobis esse videntur rationes, qui τὸν ἀνθρώπον hoc in loco exhibendi accipiendum esse censem significatione. \*\*) Nam, cum primum in confessio sit, ea verbum hocce non solum in Graeca V. T. versione, ubi τῷ ἀνθρώπῳ respondet, \*\*\*) sed etiam in Nouo Foederē

\*) B. RAPPOLTVS, de oraculo Dauidico, ad resurrectionem Christi ab Apostolo applicato, sententiam suam l.c. exponens, aliud esse, monet, sensum litteralem, in docenda natuitate Christi aeterna; aliud, sensus illius usum, in probanda necessitate resurrectionis corporis Christi, corporis videlicet illius, cui dictum sit: Ego hodie genui te. Non incommode a doctissimis viris hoc refutari id, quod in allegationibus dictorum Vet. in N. T. more usitatum est, vt non excitata solum indigitentur verba, sed ad illorum etiam antecedentia et consequentia respiciendum sit. Ex horum igitur sententia, verba comm. VII Ps. II, a Paulo allegata, sunt saltem רָאשׁ פְּסִיקָה principium reliquorum, qui hoc spectant, versuum, et ad totum Psalmi contextum, de regno et exaltatione Christi, nos remittunt; eumque, qui per aeternam generationem Dei filius est, non potuisse non resuscitari, docent, vt regnum suum potenter administret, hostibusque suis valide imperet. Vid. I. G. DORSCHEVUS, in Comin. in IV Euangel. p. 734; et S. R. D. D. I. G. CARPOZOVIVS, Crit. S. P. III, c. 2, p. 854.

\*\*) Interpretum, qui ita sentiunt, et quibus ipse quoque suffragatur, satis ampli, in quo tamen emendanda quedam occurunt, catalogum exhibit I. C. WOLFIUS, in Curis Philol. et Crit. ad h. l. p. 113, sqq. Addi possunt ex nostratisbus WILH. LYSERVS, in System. Thetico-Exegetico, p. 234. SEB. SCHMIDIVS, in Commentar. in Ep. ad Hebr. p. 63. I. A. BENELIVS, in Gnom. N. T. p. 474. Ex Reformati, IOH. MARCKIVS, in Hisp. Exalt. I. C. lib. II, c. 7, p. 486.

\*\*\*) Deut. XVIII, 15, 18; 2 Sam. VII, 12; Ier. XXIII, 5; XXX, 9; Ezech. XXXIV, 23, 29; etc.

## VIII

saepenumero gaudere potestate; \*) tum vero, secundo, hanc vocis acceptationem sermonis Apostolici contextus cum maxime postulare videtur. Orationis suae initio, Paulus singularia Dei beneficia, populo Israelitico, inde a primis temporibus, exhibita, commemorat; ac postea, v. 23, horum praecipuum praedicare, aggreditur, nempe quod ex semine Davidis promissum Deus Israeli excitauerit Saluatorem. E SVM. Hinc, quo modo aduentum ipsius annuntiauerit praecursor, Iohannes, praesentem autem eum Iudei non agnoverint, innocentemque cruci affigendum Pilato tradiderint, indeque redemptionis opere perfundum, sepulcroque illatum, ex mortuis resuscitauerit Deus, exponit. Iamque, v. 32, id, quod, v. 23, dixerat, ὅτι ὁ Θεὸς απὸ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ἰησοῦ τοτῆς Ἰησοῦ, Deum, ex semine Davidis, secundum promissionem, Israeli excitasse Saluatorem Iesum, iisdem fere repetit verbis, excitatum huncce Saluatorem, ipsum vnigenitum Dei filium esse. V. T. oraculo probaturus. *Nosque, inquit, vobis annuntiamus, promissionem, patribus factam, nobis, posteris eorum, adimpleuisse Deum, ἀναστάτωτα Ἰησὸν, excitando, i.e. re ipsa exhibendo, Iesum.* Promissio, patribus a Deo facta, cum ad Filii hunc in mundum missionem, et suscepit ab hoc, perfectaque redemptiois operis executionem, in primis spectet; eandemque Deus adimpleuerit, ubi, praefinito aduentante tempore, filium suum misit natum ex muliere, legique subiectum, ut homines, qui sub lege erant, ab huius maledictione, obedientia sua, cum actua tum passiva, redimeret, ut adoptionem in filios Dei consequeremur; \*\*) hinc tertio patet, τὸ ἀναστάτωτα Ἰησοῦ, quod ad promissionem illum PAVLVS refert, de Iesu, vnigeniti Dei filii et Saluatoris nostri, exhibitione potius, quam de resuscitatione ipsius

ex

\*) Vid. Matth. XXII, 24; A.T. II, 30; III, 22, 26; VII, 37; Hebr. XI, 11, 15.

\*\*) Gal. IV, 4, 5.

ex mortuis, esse intelligendum. Accedit quarto, Apostolum τὸν αὐτοῖς ἐν νεκρῷ ab illo, quod, v. 32, dixerat, αὐτοῖς διστητε et αὐτιθετικῶς distingueret; siquidem mox, v. 34, de resuscitatione Iesu ex mortuis, hancce itidem V. T. oraculis confirmaturus: Ὅτι δέ, inquit, αἰνέσθησεν αὐτὸν ἐν νεκρῷ, μηδέτε μέλλοντα υποσχέψειν εἰς διαφθοράν, ὡς τόσος εἴρηκεν. κ. τ. λ. Quod autem Deus eum, Iesum videlicet, ex mortuis suscitauerit ad vitam perennem, ita praedixit; et rel. Ex his igitur satis apparet, per τὴν αὐτάσαν Ιησόν, quam, v. 23 et 32, Paulus commemorat, ipsam vniogeniti Dei Filii in carne designari exhibitionem, qua is, a Patre missus, in mundum venit, et in assumta carne, quae suscepit officii mediatorii ratio postulabat, perfectit; eoque promissum re ipsa se praestitit Messiam, ac totius generis humani redemptorem. Atque hinc etiam ratio patet, quare Apostolus ex Psalmo II, luculentam de Messia venturo in se continentem vaticinationem, Iehouae ad eundem, quod commate VII refertur, subiunxit dictum, nempe ut, in αὐτάσαι Ιησοῦ eum exhibitum esse, confirmaret, Salvatorem, cui Deus Pater dixit: בְּנֵי אָתָּה אֱנוֹן הַיּוֹם יָלַדְתָּךְ Filius meus tu es, ego hodie genui te; proprium videlicet Dei filium, ex essentia Patris genitum ab aeterno. Ad subiecti adeo, seu personae, de qua exhibenda promissio facta erat, descriptionem allegatum hocce pertinet oraculum, dum Apostolus, v. 33, addit: ὡς οὐκ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται. Υἱός μου ἐν σοὶ, ἐγώ σημειούσος γεγένηκά σε. Etenim, \*) de Iesu, misso, exhibitoque a Deo, in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus tu es, ego hodie genui te.

Ita vero, cum Paulina oraculi Dauidici allegatio vero illius sensui prorsus conuenire, intelligatur, nequicquam allegationi huic rationem rectius constare quidam arbitrantur, si τὸν γεγένηκά σε, de generationis, ab aeterno factae,

mani-  
\*) Particula ὡς, in periodorum maxime, aut membrorum initio,  
B signifi-

## X

manifestatione ac declaratione, exponatur; ut sensus verborum commatis VII Ps. II, hic sit: *Filius meus tu es, ego hoc tempore, (N. sc. T.) me ab aeterno te genuisse, declarabo.* \*) Quanquam enim, quo iidem expositionem hanc praesidio firmant, verba, quae fieri, esse, vel agere, significant, aliquando de essentiae vel actus istius manifestatione ac declaratio-ne, adhiberi solent; \*\*) dissimilia tamen sunt, quae hoc no-mine afferuntur, exempla, et idiotisimus iste ad oraculum no-strum Dauidicum incongrue refertur, quippe quem vera et germana illius sententia nullatenus admittit.

Ante quam scriptio huic finem imponamus, paucis adhuc agendum est de illa, quam cum dicto oraculo Clarissi-mus nouae eiusdem expositionis auctor instituit, allegationis huius Paulinae conciliatione. Nempe, ne, praeter cetera, si etiam N. T. loci, in quibus comma VII Psalmi II excita-tur,

significare solet: ἐπεὶ, γὰρ. Vid. FRANC. VIGERVS, de Graecae dictio[n]is idiotsimis, c. VIII, scilicet 10, reg. 16.

\* ) Huncce DAN. RINGMACHERVS, in *Explanatione commatis VII Ps. II, coll. cum Ael. XIII, 33, p. p. Ienae, a. M DCC XXVI, cap. IV*, dicto Dauidico attribuit sensum; sicut vaticinii huius im-plementum allegatione Paulina confirmari, censet. Eundem in modum dictum illud exponit IOH. ALB. BENGELIVS, in *Gnomone N. T. p. 474.* IOH. MARCKIVS, in *Historia Exal-tat. I. C. lib. II, c. VII, p. 488, et cap. XV, p. 525, sqq.* oraculi Dauidici cum allegatione Apostolica conciliandi hanc instituit rationem. Nempe distingui vult rem dictam, quae sit aeterna, Messiam videlicet esse a Patre genitum, ab eius dictione, in tem-pore facta. *Dictio[n]em* esse rei declarationem, quae in tempore contigerit, per Messiae exhibitionem et exaltationem. Conf. EIVSDEM Exercitatt. Exegett. exerc. XV, p. 230, sqq. Sed subtilitate hac, allegationis Paulinae cum dicto allegato harmonia obscurari magis, quam illustrari, nobis videtur.

\*\*) Vid. SAL. GLASSIVS, *Philologiae Sacrae lib. III, tr. III, can. 15, p. 265, sqq.*

tur, nouae illi suae vereque παραδοξῶν, de Christo, secundum humanam naturam a Spiritu Sancto genito, interpretationi obstante videantur, quo modo iidem huic, scilicet, conueniant, Vir doctissimus demonstrare allaborauit. Quem ad modum autem in programmate nostro natalitio, p. 18, iam notaui-  
mus, hac in re ita eum esse versatum, ut oraculi verba eo,  
quo intelligenda praesumisit, sensu coegerit videri in N. T.  
excitari; speciatimque loci Hebr. c. I, v. 5, quod praecipuum  
in eo ad sententiam suam pertrahendo posuerit operam, id  
comprobauimus exemplo; ita quod ad illam, cuius cum ora-  
culo Davidico, vero germanoque suo accepto sensu, haec-  
nus enarrauimus consensum, attinet allegationem Ad. XIII,  
v. 33, quam inani eam conatu, aduersante toto contextu, ad  
suam conformauerit ὑπόθεσιν, ipsa eius, quibus locum hunc  
παραφέσει, ostendunt verba. Ich mache, inquit, den Zu-  
sammenhang durch folgende Worte deutlich: Es ist kein  
Wunder, dass der Heil. Geist, als welchem ja das Werck  
der Auferweckung Christi auch beigeleget wird, Rom. 8, 11,  
unsern Heiland von den Todten auferwecket hat, weil sich  
derselbe bei seiner Menschwerdung ungemein geschäftig er-  
zeiget, und seine Menschheit in der Maria hervor gebracht  
hat. Gleichwie davon schon im andern Psalm geweissaget  
worden, dass der Heilige Geist von dem Messia sagen koenne:  
Du bist mein Sohn, heute habe ich dich gezeuget. Hac nimi-  
rum παραφέσει rem omnem confessam a te putat, hocce  
addens επιφάνημα: Wo ist nun hier etwas, welches unserer  
Erklaerung entgegen staende? Non aegre feret Vir celeber-  
rimus, si dixerimus, Ψευδογνωμονια quancunque hac ratione  
defendi posse, si quidem dictis S. S., quae ei aduersantur,  
alienus et ad ὑπόθεσιν ex proprio ingenio artificiose accommo-  
datus, affingatur sensus. Omnes omnino οἱ σεβλῶντες τὰς  
γένερας, locorum, manifestis ipsorum Ψευδογνωμονια opposito-

B 2 rum,

## XII

rum, huiusmodi proferentes enarrationes, eodem iure quae-  
rere possunt: numquid in his est, quod nostrae obstet, re-  
pugnetque interpretationi? Nulla certe in tota Apostoli  
oratione Spiritus Sancti sit mentio; nedum quidquam in-  
de erui possit, quod vel in speciem nouae oraculi, de Spi-  
ritu S. Christi secundum humanam naturam genitore, fauac-  
expositioni: quin potius vtraque, quae in eadem memora-  
tur, τῇ Ἰησοῦ κατάστασις, cum illa, de qua, v. 23, sermo est, quae-  
que, ut supra ostendimus, v. 32, repetitur, qua videlicet  
Deus Iesum excitauit Saluatorem, vnigenitum hunc suum  
mittendo filium, ex muliere natum, ad redimendum genus  
humanum; \*) tum ἡ ἀνάστασις ἐν τῷ νεκρῷ, v. 30, 34 sqq. de  
Deo Patre praedicatur. Mirum est, doctissimum virum, in  
paraphrasi sua, dicere, Spiritui S. opus resuscitationis Christi  
attribui, Rom. c. VIII, v. 11; nec discrimen obseruasse inter  
τὸν πνεῦμα τὸν ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐν νεκρῷ, et τὸν ἐγείραντον τὸν Χριστὸν  
ἐν νεκρῷ, qui est Deus Pater. Huic resuscitatio Christi in fa-  
cbris litteris disertis adscribitur verbis, cum alias passim, tum  
in primis Rom. VI, 4; Gal. I, 1; Eph. I, 21; 1 Thess. I, 10;  
et cet. Καὶ τὰῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Indicenda enim iam est solemnis oratio, quam Vir  
Nobilissimus, Doctissimusque, Dominus IOHANNES  
CHRISTIANVS LEVSCHNERVS, Galent. Misni-  
cus, S. Theologiae Cultor, feria prima Pentecostali, h. l. q. c.  
recitat, quaque, reuelationem, tanquam rem necessariam  
et certam, contra tortuosas potissimum quæstiunculas, a tene-  
brione nuper prolatas, defendet. Ad hanc igitur audiendam  
ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVSQUE  
REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, Generosissimos item ac  
Nobilissimos Academiae Ciues, officiose, per amanterque in-  
uitamus. P. P. Lipsiac, in vigiliis Pentecost. a. CLO IOCC XLIII.

\*) Galat. IV, 4, 5.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Fd 3984



TA - DL

V3.17

MW



